



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KANDINA** IN BENINO NOVA DIOECESIS  
KANDINA APPELLANDA ERIGITUR « In apparando bismillesimo anno suas expleant partes particulares Ecclesiae »  
(*Tertio millennio adveniente*, 25): Nos quidem de unaquaque solliciti sumus. Nunc vero, cum ex postulatum sit ut  
dioecesis Parakuensis, in Benino, divideretur, opportunum duximus ad aeternam istius dominici gregis salutem, ex  
eiusdem territorio dioecesis Parakuensis partem distrahere, scilicet districtus civiles vulgo dictos « Kandi », a Banikoara  
», « Gogonou », « Ségbana », « Malanville » et « Karimama », et novam ex iis dioecesim erigere. Ideo, re mature  
deliberata auditoque voto Venerabilis Fratris Andreae Dupuy, Archiepiscopi titulo Saelesiensis et Nuntii Apostolici in  
Benino, nec non Congregationis pro Gentium Evangelizatione, supra dictum territorium constituimus dioecesim  
Kandinam nuncupandam, eamque Metropolitanæ Ecclesiae Cotonuensi suffraganeam atque iurisdictioni Congregationis  
pro Gentium Evangelizatione obnoxiam facimus. Sedem novae dioecesis in urbe vulgo « Kandi » ponimus, ecclesiam  
vero Deo in honorem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo dicatam in eadem urbe exstantem ad gradum ecclesiae  
Cathedralis evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quæ ad eiusmodi templa spectant. Ad sacrorum alumnorum  
institutionem quod attinet, iuris communis servantur præscripta, præ oculis Congregationis pro Institutione Catholica  
habitis præceptis. Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede  
vacante administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, servantur quæ sacri canones præscribunt. Cum  
novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius  
territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero sacerdotes Seminarii que tirones et clerici illi Sedi in cuius territorio  
legitimum detinent domicilium. Documenta autem et acta quæ conditam dioecesim respiciunt, ad eiusdem Curiam  
mittantur atque ibidem in tabulario servantur. Haec autem, quæ præscripsimus, committimus perficienda Venerabili  
Fratrî Andreae Dupuy, Archiepiscopo titulo Saelesiensi et Nuntio Apostolico in Benino, vel, absente eo, illi qui negotia  
curat Apostolicæ Sedis in eadem regione, ac omnes eis tribuimus necessarias et convenientes facultates, etiam  
subdelegandi quemvis virum in dignitate ecclesiastica constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium  
Evangelizatione sincerum actus effectus executionis exemplar sedulo mittendi. Has denique Litteras Nostras firmas  
esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus haud quaquam obstantibus. *Datum Romæ, apud Sanctum Petrum,  
die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri  
septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

*Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, pp. 539-540 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana